



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

371. De die dominico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

*Item ex Capitulis ad Carisiacum.*Burchard. lib.
3. c. 174.

CCCLXX. Injustum videtur & impium ut mancipia quæ fideles viri seu feminae pro remedio animæ suæ Deo & sanctis ejus consecrarunt, cujuscunque muneris, pretij, vel commutationis commercio iterum in secularem servitutem redigantur, cum canonica auctoritas servos fugitivos tantummodo distrahi permittat. Et ideo omnes rectores Ecclesiarum summopere caveant ne unius elemosynæ alterius peccatum fiat. Sicut enim indecens est ut ex libero servus fiat, sic absurdum ut ex ecclesiastica dignitate servus decidens humanæ obnoxius sit servituti.

*De die dominico. Ex Capit. Karoli.*Lib. 1. Capitular. c. 81.
Burchard. lib. 2. c. 82.

Vide lib. 7. Capitular. c. 200. & Addit. 1. c. 9. & Addit. 11. c. 9.

CCCLXXI. Statuimus quoque, secundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur, sicut genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, vel metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, vel in sylvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos struere, nec in horto laborare, nec ad placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur.

Quid in dominico die possit vel liceat fieri.
Ex eodem.

Lib. 1. Capitular. c. 81.
Burchard. lib. 2. c. 83.

CCCLXXII. Tria carraria opera licet fieri in dominica die, id est, hostilia carra, vi-